

INDEX DISPUTATIONUM

Theologicarum

sub Praesidio Leonb. Hutleri.

De Confessione Augustana

2 De unitate essentiae divi-
nae et personarum Trinitatis

3 De personarum in unadi-
vina essentia differentis
notis characteristicis ordine
et de generatione ac divi-
nitate Filii Dei aeterna

4 De divinitate Spiritus Sancti
ejusque aeterna processione
a Patre et filio, et de Sa-
cramentis tam veteribus quam
recentioribus etc.

5 De peccato originali per
difficiliam scripturam poly-
posita.

6 De blasphemia in Spiritum
sanctum sive peccatum ad
mortem

7 De unione hypostatica di-
varum naturarum in Christo

8 De communicatione et
naturarum et eorum
Idiomatum in Christo

9 De officio Christi sacerdo-
tali et statu Summationis

10 De officio Christi re-
gio, et statu exalta-
tionis

11 De justificatione ho-
minis peccatoris coram
Deo

12 De efficacia ministerii
verbi et sacramentorum
Dei Ministeriorum Ecclē-
siae vocatione

13 De bonis operibus

14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 11.

15 De Sacramento ingere-
re 13 a. c. 4.

16 De Baptismo, c. 4.

17 De Coena Domini. 10

18 De Penitentia et
Confessione 11. 12

19 De Traditionibus hu-
manis in Ecclesia

20 De rebus civilibus
et potestate Ecclesi-
astica. 16 c. 17

21 De extremo pudore
22 De libero arbitrio
23 De causa peccati
24 De cultu sanctorum
25 Ex Jerem. Ecce agnus
illi Dei qui tollit peccata
mundi
26 De verbo Dei
Scripto seu Scriptura
in sacra.

DISPUTATIO XVI.

DE COENA

DOMINI.

IN QVA

Deo bene iuvante

SUB PRÆSIDIO

LEONHARTI HVTTERI,

SS. THEOLOGIAE

DOCTORIS,

Respondebit

M. IOHANNES KOL-


VVITSCHIVS Vogels-

bergensis.

*Ad 13. Novemb. Anni 1596. hora
& loco consuetis.*

Iustin. quæst. 117.

Τὰ ὑπὲρ τὴν φύσιν, ἐν τῇ φύσει γινόμενα, καὶ ἀ-
τὴν θεϊαν δύναμιν, ἀδύνατον, καὶ ἀτὸν λόγον τῆς φύσε-
ως, ποιήσασι τὴν παράστασιν.



I E N Æ

TYPIS TOBIAE STEINMANNI.





DISPUTATIO

DE COENA DOMINI.

THESIS I.

DE COENA DOMINI
contra Sacramentarios disputaturis, in-
fallibilem verborum Institutionis Cynosu-
ram unicè spectandam, ex eaq. sola con-
troversia decisionem petendam esse statui-
mus.

2. Quod si enim philosophos turpe est $\mu\epsilon\lambda\alpha\beta\alpha\upsilon\epsilon\upsilon\upsilon$ 1. post
eis $\alpha\lambda\lambda\omicron$ $\gamma\epsilon\upsilon\theta$, quanto magis turpe, imò impium fuerit, Anal. c. 7.
in religionis Christianae dirimendis Controversiis, sedem
belli devitare propriam, & deligere alienam?

3. In ipso ergò statim limine turpiter impingunt
Sacramentarij, qui ijs posthabitis Scripturae locis, qua ex
professo, de negotio agunt Eucharistico; in Sexto potissi-
mùm Iohannis capite, causa suae praesidium collocant, &
ex eo tela contra nos depromunt: cum tamen de spiritu-
ali saltem manducatione Corporis & sanguinis Christi,
qua etiam extra usum Cœnae Dominicae fit sola fide: nis
bil verò quicquam, de Sacramentali manducatione, in
S. Cœnae praecepta & instituta, illud agere, vel Theologia
Gyronibus non posse non esse notissimum.

Epit. For.
Concor. f.
581.

4. Ipse autem status Controversia, inter nos & ipsos hic est: An in S. Cæna, verum Corpus, & verus sanguis Domini nostri Ihesu Christi, verè & substantialiter sint presentia, atq; cum pane & vino distribuuntur, & ore Corporis sumantur ab omnibus illis, qui hoc Sacramento utuntur, sive digni sint, sive indigni, boni aut mali, fideles aut infideles.

5. Sacramentarij, non fidei, sed rationis humanae & Naturæ mysterium hoc metientes, Negativam per omnia jampridem sibi fecerunt propriam.

6. Nos in Affirmativam concedentes, credimus & confitemur, in Cæna Domini verum Corpus & verum sanguinem Christi verè & substantialiter esse presentia: & unà cum pane & vino verè distribui, atq; percipi tam à dignis quam ab indignis: his quidem ad iudicium, illis vero ad vitam & consolationem.

7. Affirmativa hujus nostra duo sunt membra, quorum prius ipsam principalem de vera Essentialis corporis & sanguinis Christi in S. Cæna questionem continet: posterius Controversiam de manducatione Indignorum proponit & explicat.

8. Prioris questionis Affirmativam primùm ex perspicuis Institutionis verbis, utpotè propria hujus materie sede: deinde verò ex perpetua harmonia trium Evangelistarum, & Apostoli Pauli: tum ex unanimi Orthodoxæ Antiquitatis consensu confirmabimus.

9. Initiò igitur, verba Institutionis simpliciter juxta literam uti sonant, sive κατὰ τὸ πρῶτον; non verò figuratè aut tropicè esse accipienda, statuimus.

10. Nulla enim prorsus, analogia fidei consentanea, militat ratio, qua nos à πῦλον ad Ἀπόστολον, à litera ad sensum,

sensum, à re ipsa & corpore, ad figuras & umbras queas abducere.

11. Hominis Testamentum inquit *Apostolus*, confirmatum si fuerit, nemo abrogat, aut ei super addit quicquam: Qua ergo fronte, Testamento Filij Dei, ejusmodi glossam ac sensum affingere quis ausit, quem ejus tabulis, Evangelica historia insertis, è diametro repugnare, earumq; sensum proprium ac nativum, in tropicum ac Metaphoricum transmutare, nemo non animadvertit? Gal. 3, 15.

12. Quid? quòd ipsa Testamenti bujus verba tam sunt clara & perspicua: ut in ijs scrupulum movere qui velit, nodum in scirpo querere videatur.

13. Cùm enim Servator in ipsa institutione dixisset: Hoc est corpus meum: statim, ne de corporis istius ratione, dubitatio relinqueretur ulla, qualem à illud esset corpus: subjicit, Corpus, quod pro vobis traditur.

14. Pari ratione, de poculo benedicto, Hoc inquit poculum, novum est Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur.

15. Res ergò ipsa quod ajunt clamat, cùm non corpus aliquod tropicum aut figuratum, non signum aliquod corporis absentis, non deniq; efficacia corporis absentis, sed *Apostolo teste*, ipsum corpus carnis Christi, hoc est, illud ipsum corpus, quod conceptum est à Spiritu sancto, natum ex Maria virgine &c. pro nobis sit traditum: idem illud Corpus nobis in S. Cæna verè exhiberi. Col. 1, 12.

16. Sic cùm non sanguis Metaphoricus aut typicus, non signum aliquod, aut efficacia sanguinis absentis: sed verus ac naturalis sanguis Christi pro nobis sit effusus: eundem etiam sanguinem essentialem à nobis in S. Cæna percipi, infallibili demonstratione concludimus.

17. Alterum Affirmativa nostra fundamentum, ex

harmonia quatuor testium, omni exceptione maiorum pessimus, qui uno ore de Sacratissima Eucharistia sunt locuti: & de priore quidem eius parte, Corpore nimirum Dominico, ad unguem, quoad ipsa etiam verba consentiunt.

18. In alterius partis, Calicis nimirum descriptione, etsi diversitas quadam in verbis Evangelistarum occurrat: tantum tamen abest, ut ea tropicum aliquem sensum verbis Institutionis pariat, ut potius eum aperitissime refutet.

Matth. 26, 28. Hic est sanguis meus, qui est Novi Testamenti: ibi Lucas & Apostolus mutato nonnihil verborum ordine: Hoc poculum inquit, novum est Testamentum in meo sanguine.

19. Nam ubi Matthaeus & Marcus sic habent: Mar. 14, 24. Luc. 22, 20. 1. Cor. 11, 25. Tanta profecto utriusque hisce phrasibus, unam eandemque sententiam aperientibus, inest vis, ut nullo artificio aliter, quam in propria significatione possint exponi.

20. Quod si enim Matthaei & Marci phrasin de tropico ac figurato sanguine velis accipere: en Luca & Apostoli verba pleno ore reclamant.

21. Quod si enim Matthaei & Marci phrasin de tropico ac figurato sanguine velis accipere: en Luca & Apostoli verba pleno ore reclamant.

22. Obstat enim primum, quod uterque eum sanguinem exhiberi testatur, qui pro nobis effusus: Tropicum autem sanguinem effusum esse, nemo nisi extreme blasphemus, affirmabit unquam: Stabit ergo pro rato, verum ac essentialem sanguinem, qualis & effusus fuit, esse poculum illud, quod est novum Testamentum, in Christi sanguine, pro nobis effuso.

23. Obstat deinde Novi Testamenti appellatio, quae per figuram plane nullam à propria significatione potest dimoveri.

N. g.

24. Neq̄ enim ideo Cæna Domini novum appellatur Testamentum, quia vinum in ea bibimus: siquidem hoc utriusq̄ Testamenti differentiam formalem minimè constituit.

25. Verùm ideo hanc appellationem est sortita, quia in ea accipitur & bibitur sanguis Christi, qui est, ut Matthæus & Marcus habent, Sanguis Novi Testamenti.

26. Nervus collectionis in eo consistit: Novum Testamentum à Veteri ita distat, quòd in veteri fuerunt umbra ac typi futurorum bonorum, Corporis nimirùm & Sanguinis Christi essentialis: in Novo autem est Christus ipse, non modò ratione beneficiorum: quâ parte cum veteri non differt: sed ratione corporis Christi, & ipsius rerum εἰκῶν sive imaginis, ut loquitur epistola ad Colossenses & Hebræos. Col. 2, 17
Heb. 10, 1.

Atqui in veteri Testamento, sanguis Christi essentialis, per sanguinem Agni paschalis fuit adumbratus: cui institutionem Sacramenti Cæna Dominica directè & perspicuè opponit Servator, Vetus nimirùm aboliturus, novum verò sanciturus.

E. in Sacramento Novi Testamenti, non typus aut figura, sed ipsa substantia sanguinis Christi contineatur & offeratur necesse est.

27. Ad stipulatur his Apostoli interpretatio, 1. Cor. 10. 16.
qui verborum institutionis hunc reddit sensum: Panis quem frangimus, nonne κοινωνία Communicatio est Corporis Christi? Calix, cui benedicimus, nonne κοινωνία sanguinis Christi est?

27. Per vocabulum κοινωνίας, quid Apostolus intelligat, ipse ostendit, cum statim subjicit: Quia unus panis, V. 17.
εἷς ὁ ἄρτος

unum corpus multi sumus, omnes enim ex uno pane participamus.

29. Idem ergo est Apostolo μετέχων ἐκ τῆς ἄρτης, quod κοινωνίαν prius appellaverat.

30. Interim tamen, ut rectè annotavit Chrysostomus, Communio, sive κοινωνία plus est, quam μετοχή participatio: Nam ad hanc satis est habere partem: sed ad illam requiritur, ut prorsus uniamur, totumque percipiamus, quod nobis proponitur.

2. Cor. 9,
13. Rom.
15, 26.
Phil. 1, 5.
1. Ioh. 1, 3.

31. Est verò κοινωνίας vocabulum ὁμώνυμον, & vel μετέληψιν participationem & perceptionem substantia: Vel Evangelij ac fidei societatem significat: Quo utroque sensu, κοινωνίας voce uti Apostolum, ipsa textus confirmat συνέπεια.

32. Neque enim de spirituali coniunctione sive copulatione, sed de Sacramentali Apostolo sermo est: id quod primum ipsa mensa demoniorum, quibus sacrificia offerebantur, cum mensa domini ostendit collatio.

33. Quemadmodum enim in mensa demonum non spiritualis tantum erat cum demonibus, per idololatricam conjunctio: sed externa etiam Idolothytorum participatio: ita (ut Comparationi sua constet perfectio) in mensa etiam Domini cum poculo benedictionis, sanguis eius; & cum pane fracto corpus eius accipiat necesse est.

1. Cor. 11,
27.

34. Deinde si de spirituali illa copulatione, qua fit sola fide in Christum, loqueretur Apostolus, certè paulò post indigna manducationis mentionem facere haud potuisset, cum illius spiritualis usus, nulla planè sit indigna usurpatio.

1. Cor. 10,
16.

35. Tum Apostolus non dicit, fidem nostram esse κοινωνίαν Corporis & sanguinis Christi: sed panem, & eum quidem

quidem non simpliciter, sed fractum, hoc est, distributum:
& poculum illud, cui benedicimus: hoc est, quod ad hunc
peculiarem usum ex mandato Domini adhibetur.

36. Est igitur, ex evidenti hac D. Apostoli interpre-
tatione, non Fides: sed panis Eucharisticus, & poculum
Eucharisticum, non uia non beneficiorum tantum corpore
& sanguine Christi partorum, quorum etiam extra usum
S. Cæne, per fidem reddimur participes: sed ipsius Corpo-
ris ac Sanguinis Dominici.

37. Tercium affirmativa nostra fundamentum, ab una-
nimi Orthodoxæ Antiquitatis consensu sumimus: cujus te-
stimonia plura huc referre, nostri non est instituti: quorum
Catalogus bene longus offertur nobis in libello D. Philip. ad
Miconium: & alijs nostrorum Theologorum scriptis: præ-
cipue verò in refutatione Compilationis Cinglianae.

38. Et quanquam inficias minimè imus, dissimiles ex
patribus ab Antagonistis citari sententias: quod si tamen
suo unaquaq; loco consideretur, haud obscurum evadit,
patres non de nudo & solo signo, aut efficacia absentis cor-
poris & sanguinis Christi, sed de participatione præsentis
corporis & sanguinis locutos esse, & sensisse.

39. Sunt autem in explicandis illis patrum senten-
tijs, quæ adversa parti favere videntur, quatuor potissi-
mum observanda regula: quarum prima est; Patribus
interdum id esse propositum, ut ostendant, quali officio atq;
munere in S. Cæna, externa fungantur symbola, quod ni-
mirum sint signa exhibentia, & conferentia nobis verum
Corpus & sanguinem Domini.

40. II. Interdum non de substantia S. Cæna, sed de
ejusdem usu salutari verba faciunt, ac proinde spiritua-
lem requirunt manducationem, qua fit fide in Christum.

41. III. Interdum crassam illam & Capernaiticam
corporis Christi dilaniationem refutant & amoluntur.

B

Haud

42. Illi. Haud raro incidenter saltem & obiter S. Cœna mentionē faciunt, ac proinde mutilatē etiā rem explicant.

43. Quod si verò ex professo de ea disserunt, vel ipso Sole meridiano est clarius, ipsos magno consensu affirmare, Christum esse & habitare in nobis, conjungi nobis & uniri, non tantum spiritualiter fide & charitate per Spiritum sanctum: verum etiam corporaliter, naturaliter, participatione naturali, unione corporali, in usu Cœnae Dominicae: ut videre est apud Cyrill. in Ioh. l. 1. c. 13. l. 11. c. 26. & 27. apud Chrysostr. homil. 23. in Matth. & hom. 45. in Ioh. apud Hilar. l. 8. de Trinit. apud Augustinum passim, & complures alios.

44. Notandum v. neq. Orthodoxos patres, neq. nos etiam, per adverbia, verè, substantialiter, realiter, naturaliter, corporaliter, modum presentia Corporis Christi, definire, qui minimè talis est, quiq. rationis humanae capsum longè transcendens, solius fidei organo percipitur: sed hoc ostendere, ipsam substantiam & naturam corporis & sanguinis Christi, non in signo, nec efficacia tantum, sed secundum substantiam verè adesse, exhiberi & accipi.

45. Quo modo Patres etiam, & nos hodieq. particulis in, sub, cum, neuiquam, uti immeritò accusamur, vel ad localem inclusionem stabiliendam, vel ad confirmandum Transsubstantiationis dogma: sed tantum ad veram essentialis Corporis & Sanguinis Christi in S. Cœna presentiam demonstrandam, uti solemus.

46. Quibus tamen particulus non ita praefractè insistimus, ut si de vera confessione secundum verba Institutionis inter nos & Sacramentarios conveniret, eas paci ac tranquillitati Ecclesiae sumus antelaturi: Interim tamen, dum de adversariorum strophis nobis constat, maximum harum particularum, ad protrahendos ipsos è latebris, esse usum, habemus persuasissimum.

Quibus

47. Quibus omnibus ita constitutus, quoad priorem Affirmativa nostra questionem, tandem cum Irenao & D. Augustino concludimus: In S. Cæna duas esse res, quas simul & dantur & accipiuntur: Vnam terrenam; Panem scilicet & vinum: Cælestem alteram; Corpus & sanguinem Domini: idq; fieri non supra in cælis, sed hic in terris: non ore tantum fidei spiritualiter, quod etiam extra Cænam fieri potest: sed cum pane & vino quoq; Orali- ter: Verùm modo imperscrutabili & hyperphysico.

48. Colligimus etiam ipsum prædicationis modum, qui ex proprio & simplice verborum Institutionis sensu nascitur, non esse figuratum aut tropicum: Sed inusita- tum: ut qui nullis humanarationis regulis congruit, nec exemplum in rerum natura ullum simile deprehenditur.

49. Neq; verò uti Sacramentarij falso arguunt, à usitate tradimus, dum & pñs simplicitatem, & inusitata locutionis genus retinendum esse statuimus: siquidem illud vocabula singula respicit: hoc verò ad totam prædicationem pertinet.

50. Quid quòd prædicationem hanc inusitatam appellare non possemus, nisi simplicem ac propriam sive usita- tam singulorum vocum significationem retineremus.

51. Quamprimùm enim illam ad improprietatem aliquam & figuratum sensum inflexeris: illicò inusitati modum in prædicatione omnem sustuleris.

52. Sed ut ad alteram Affirmativa nostra questionem, Indignorum nimirùm manducationem accessum faciamus: credimus & confitemur, Oralem Corporis & sanguinis Christi sumtionem non fieri à dignis duntaxat: sed etiam ab indignis: Verùm eventu dissimili: à dignis quidem ad salutem: ab indignis verò ad iudicium.

53. Indignorum a. appellatione veniunt, non igna- ri religionis nostra, aut qui sunt extra portæ Ecclesie:

de quibus supervacanea planè hoc in negotio est questio.

54. Neq; etiam infirmi, aut imbecilla fide præditi: Hos n. præ cæteris ad omnium beneficiorum suorum fruitionem invitat Dominus: venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos.

Matth. 11,
28.

55. Quid quod Fides, quantumvis etiam infirma & imbecillis, quamdiu vera fides est, viva esse non desinit.

56. Verùm Indigni hac in questione appellantur, Omnes impij Christiani, qui licet fidem ore profiteantur, verè tamen eandem abnegant, dum sine vera pœnitentia, vel in hypocrysi, vel in delictis contra conscientiam perseverant, & ut speciem saltem aliquam externæ pietatis ostendant, ad mensam hanc, ipsis etiam Angelis rememorandam, accedere non verentur.

57. Hos ergò Indignos, in usu S. Cœnae, verè corporis & sanguinis Dominici fieri participes, sed ad iudicium, cum Apostolo asserimus, dicente: Quisquis ederit panem hunc, vel biberit poculum hoc indignè: reus erit corporis & sanguinis Domini. 1. Cor. 11, 27 & 29.


58. His ad hunc modum constitutis, reijcimus Sacramentariorum opinionem, statuentium à dignis tantùm accipi Corpus Domini: Indignos autem, qui fide ad astra evolante, ibiq; Corpus Christi apprehendente careant, non nisi panem & vinum sumere.

59. Neq; n. fidem sumentium, causam præsentia aut non præsentia Corporis Dominici: Sed ipsam institutionis auctoritatem esse constituendam, affirmamus.

60. Reijcimus etiam omnes reliquos Sacramentariorum errores, quorum in hoc doctrina Christiana articulo seges satis est fœcunda, quorumq; Catalogum bene longum Por. Conc. fol. 732. Christiana Concordia exhibet Formula.

61. Ch. Ihesus sanctificet nos in veritate sua, & Calvinisticarum blasphemiarum portenta clementer ab Ecclesiis & scholis nostris arceat. A M E N.





37

DISPUTATIO XVI.
E COENA
 DOMINI.
 IN QVA
 Deo bene iuvante
 SUB PRÆSIDIO
 IOHANNIS HUTTERI,
 S. THEOLOGIAE
 DOCTORIS,
Respondebit
 IOHANNES KOLL-
 WVITSCHIVS Vogels-
 bergensis.
 Ad 13. Novemb. Anni 1596. hora
 & loco consuetis.
 Iustin. quest. 117.
 ἀπερὶ τὴν φύσιν, ἐν τῇ φύσει γιγνόμενα, καὶ ἀ-
 νὰ δύναμιν, ἀδύνατον, καὶ τὸν λόγον τῆς φύσε-
 ῖσ αὐτῆς τὴν παράστασιν.
 I E N Æ
 TYPIS TOBIAE STEINMANNI.

